13

HELVICVS BERNHARDVS IAVP,

IVR. P. P. O. IN ACAD. LVDOVICIANA,

RECITATIONES

SEMESTRI AESTIVO HABENDAS

INDICAT ET OFFERT,

ATQVE

PRINCIPIVM

DE

IVRISDICTIONE SVPREMORVM IMPERII TRIBVNALIVM IN CAVSSIS ECCLESIASTICIS EVANGELICORVM NON MAGIS, QVAM CATHOLICORVM, FVNDATA

BREVI OBSERVATIONE COLLVSTRAT.

GISSAE,

Ex Officina Brauniana

1772.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Notissimum est iuris publici ecclesiastici principium, quod in caussis iurisdictioni ecclesiasticae statuum imperii Euangelicorum subiectis nulla omnino iurisdictio competat summis imperii tribunalibus. Neque enim vel tempore reformationis vel pacis religiosae vel denique pacis Westphalicae de iurisdictione illa imperatori vindicanda vnquam cogitatum est, neque, si temporum illorum philosophiam *a*) spectaueris, cogitari potuit. Hinc principes Euangelici iurisdictionem ecclesiasticam, quae vi constitutionis Germanicae, seculorum vsu & obseruantia firmatae, ad iura ecclesiae dudum pertinuerat, susceperunt, & susceptam tuiti sunt cum plenaria immunitate ab omni iurisdictione seculari imperatoris & imperii, nec quidquam sibi reliquum esse putarunt, postquam iura episcoporum Catholicorum eorumque iurisdictio contra ipsos eorumque subditos pace religiosa *b*) & Westphalica *c*) suspensa fuerint. De suspen-

 denda

a) *Perill.* STRVBE *in den Nebenstunden* P. 2. p. 32. sqq.

b) art. 20. 25.

c) art. V. §. 48.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

denda ecclesiastica Caesaris iurisdictione quaestio esse non poterat, cum neque imperator eam habuerit, neque illam sibi tribuere vllo modo tentauerit, nec summis imperii tribunalibus iurisdictio in caussis ecclesiasticis vnquam demandata fuerit. Firmata est regula de iurisdictione iudiciorum imp. in caussis Euangelicorum ecclesiasticis incompetente per principium mutuae atque exactae aequalitatis inter ecclesiam Catholicam & Euangelicam pace Westphalica art. V. §. 1. stabilitum. Cum enim certum sit quam quod certissimum, ecclesiam Catholicam in caussis ecclesiasticis iurisdictionem summorum imp. tribunalium haud agnoscere, idem etiam iuris ecclesiae Euangelicae, &, qui in illa iurisdictionem ecclesiasticam exercent, statibus imp. Euangelicis, tribui debere euidens est, & vim inferri exactae isti aequalitati dicendum foret, sin hac in re Euangelicorum conditio esset deterior. His principiis semper vsi sunt principes euangelici, vbi nouioribus temporibus summa imp. tribunalia iurisdictionis in caussis ecclesiasticis partem quandam sibi vindicare in animum induxerunt. Restiterunt iis status imp. Euangelici, iurisdictionem illam a primis inde reformationis initiis *priuatiue* ipsis competiisse, nec vnquam in his caussis iurisdictionem imperatoris & imperii sese agnouisse, nec iudicata vel decreta, quae postea a summis imp. tribunalibus ferri contingeret, vnquam agnituros esse grauiter contendentes *d*). Quo ipso res in eum statum deducta est, vt soli

d) vid. *Conclusum visitatorum cam. imp. protestantium* de *19. Dec. 1713.* in FABERS *Staatscanzley* tom. 26. p. 121. sq. *litterae corporis Euangel.* ad *Caesarem* de *8. Apr. 1720.* l. c. tom. 36. p. 129, sqq. & in LVDOLF. *Comment. Syst. de iure Camer.* in Mantissa, item *litterae* eiusdem Corporis de 4. Apr. 1750. apud SCHAVROTH. T. I. p. 706. quibus addi possunt *litterae nouissimae ad Augustissimum de 1767.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ſoli amicabili compoſitioni locus ideo relictus ſit, nec, donec id factum fuerit, vlla omnino eius generis iurisdictio tribunalibus imp. concedi poſſit *e*).

Ad hanc, de iurisdictione ſupremorum imp. tribunalium in cauſſis eccleſiaſticis Euangelicorum non magis quam Catholicorum fundata, doctrinam rectius pernoſcendam inprimis facit principium, poteſtatem & iurisdictionem eccleſiaſticam ſtatuum imp. Euangelicorum non ex ſuperioritate territoriali, ſed ex libero eccleſiae Euangelicae conſenſu eiusque delatione vel expreſſa vel tacita, deriuandam eſſe *f*). Cum enim iura epiſcopalia ſtatuum Euangelicorum non ex ſuperioritate territoriali ortum trahant, ſed vi ſpecialis tituli competant, euidens eſt ratio, cur ſubiectionis vinculum, quo intuitu ſuperioritatis ſuae Caeſari & imperio obſtricti ſunt ſtatus imperii, extendendum haud ſit ad iura poteſtatis eccleſiaſticae, quippe quae iis obuenerunt ex conſenſu eccleſiae.

Veriſſimum eſſe illud principium, tam natura ſuperioritatis territorialis Germanicae, quam hiſtoria reformationis, luculentiſſime docent. Docent id quoque pacta publica a

e) STRVBEN. l. c. p. 38. 39. Vir Summus, IO. STEPH. PÜTTER. in diſſ. *de iure & officio ſummorum imp. tribunalium circa interpretationem legum imperii*, §. 57. IDEM in den *auserleſenen Rechts-Faellen* T. I. p. 171. ſqq.

f) Extra omnem dubitationem poſitum hoc eſt a viris doctis. Praeter PFAFFII, CRAMERI, WIESENHAVERI, NETTELBLADTII, PREVSCHENII, AYRERI, aliorumque ſcripta conferendus eſt inſtar omnium *Perill.* GEO. LVD. BOEHMER, in *praefat.* ad *principia iuris Canonici.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

principibus cum ſubditis ſuis hanc in rem inita. Nec contemnenda ſunt argumenta, quae ex hodierna poteſtatis eccleſiaſticae ſtatuum Euangel. indole, eiusque exercitio, ab eorum, quae poteſtatis ſecularis ſunt, exercitio diſtincto, repeti poſſunt. Agnouerunt quoque ipſi principes, iura epiſcopalia diſtincta eſſe a ſuperioritate territoriali, duplicem ſe perſonam ſuſtinere, atque ſummos epiſcopos eſſe ſtatuentes, ſeruata *iurium epiſcopalium*, *dioeceſium*, &c. appellatione *g*). Agnouerunt idem leges imperii, iura territorialia & epiſcopalia ſedulo diſtinguentes *h*). Ceterum huic rei probandae iam non immorabimur, de relatione tantum illius principii ad doctrinam de iurisdictione eccleſiaſtica tribunalium imperii quaedam adhuc prolaturi.

Sunt inter nouiores iuris eccleſiaſtici & publici ſcriptores Catholicos permulti, qui iura epiſcopalia ſtatuum Euangelicorum ad partes ſuperioritatis territorialis referunt, atque ex hoc principio iurisdictionem illorum eccleſiaſticam ſubordinatam eſſe Caeſareae iurisdictioni probare conantur. Agmen ducit PETRVS ANTONIVS FRANCK, Treuirenſis nunc Academiae Anteceſſor, qui anno ſuperiori *cenſuram principii: iurisdictio ſupremorum imperii tribunalium in cauſſis eccleſiaſticis proteſtantium non magis, quam Catholicorum, fundata;* in publicum prodire iuſſit *i*).

Totus in eo eſt FRANCKIVS V. C. vt poteſtatem atque iurisdictionem eccleſiaſticam a principibus Euangelicis a reformatio-

g) vid. e. g. MEIERN Acta pacis Weſtphal. T. 2. pag. 676. 678. 679. 690. 692. 693. 698.

h) e. g. I. P. O. Art. VII. §. I.

i) Prodiit libellus *Moguntiae* 1771.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

mationis inde temporibus pro partibus ſuperioritatis territorialis conſtantiſſime habitas eſſe aſſerat. Idem iam euincere tentauerat IOSVA IOSEPHVS RIEFEL *k*), quem ipſe FRANCKIVS, in praefatione commentationis ſuae, citauit. Sed vlterius progreſſus FRANCKIVS, inſigni eruditionis & lectionis adparatu in id vnice elaborauit, vt omnem illam de iuribus circa ſacra collegialibus & maieſtaticis doctrinam temporum nouiorum partum eſſe, atque omnia iura circa ſacra principum Euangelicorum communi imperii ipſorumque ſtatuum Euangel. conſenſu inter partes ſuperioritatis ſemper relata fuiſſe, demonſtraret.

Praemiſſis omnibus, quae ex hiſtoria reformationis, ex declarationibus ſtatuum, ex legibus imperii, praeſertim ex pace Weſtphalica, ex ſtatu ſingulorum territoriorum eccleſiaſtico, pro ſtabilienda ſententia ſua adduci poſſe putabat, omne iam circa quaeſtionem de ſubordinatione iurisdictionis eccleſiaſticae ſub Caeſarea iurisdictione punctum tuliſſe ſibi videtur, modo eam vi ſuperioritatis territorialis exerceri a ſtatibus Euangelicis probauerit. Audias ipſum FRANCKIVM ita diſſerentem *l*): *Ius circa ſacra eſt pars ſuperioritatis territorialis* (§. *anteced.*) *Quis vero, ni caſtra* FÜRSTENERII *atque* RELFENDSO *ſequi exoptet, ſuperioritatis territorialis in ſuprematum non deteſtatur metamorphoſin; Quis, pernegato cum* RELFENDSO, MONZAMBANO, *aliisque, ſubiectionis vinculo hanc hodie exagitat independentem? Quis, ceteris paribus, caſu emergente iudiciariae, ſine qua nulla in republica ſalus, atque in omnibus caſibus, niſi per leges aut priuilegia ſpecialiter exemtis, ſemper fundatae ſupremorum Germaniae dicaſteriorum poteſtati haud caput inclinat? Quam parum per conſe-*

k) In den *kritiſchen Betrachtungen über verſchiedene Staatsfragen* (Frankf. u. Leipz. 1770.) P. I. p. 35. ſqq.

l) *l. c.* §. XXVIII. p. 110.

consequens superioritas territorialis, *quam parum* regalia singula, *nonnisi* Caesari & imperio in acceptis ferenda, *a nexu* dependentiae *eximi possunt: tam parum* ius circa sacra, *atque* iurisdictio ecclesiastica, *communi imperii consensu* inter partes superioritatis territorialis *atque* regalia, *modo relata* independens *esse*, *tam parum* amicabilem cum Archidicasteriis nexum *perhorrescere potest.*

Primarium hoc argumentum est, quod pro stabilienda Caesaris in canssis ecclesiasticis iurisdictione attulit. Quae enim praeterea adduxit argumenta, tantum non omnia, ad illud, tanquam praecipuum, semper sese referunt, ideoque in illo vnice iam subsistere lubet. Speciosa est argumentatio, sed non tanta, vt principium de iurisdictione summorum imp. tribunalium in caussis ecclesiasticis incompetente destruere possit. Non vrgebo, falsissimam esse thesin, quod potestas ecclesiastica statuum Euangelicorum ab iis suscepta fuerit tanquam pars superioritatis territorialis. Certe in ea demonstranda principium tantum non vbique petit FRANCKIVS, & potiora, quibus vsus est, argumenta id solummodo euincere videntur, quod potestas ecclesiastica cum ipsa superioritate territoriali, licet aliunde originem ducat, nexu tamen perpetuo & inseparabili *coniuncta* eique *vnita* sit *m*). Quod autem pro *parte* superio-

m) vid. e. g. quam ex SELCHOVII *Anfangsgründen des Braunschw. Lüneb. Priuatrechts* P. 2. c. 1. §. 368. allegauit FRANCKIVS l. c. §. XVII. not. a.) no. e.) p. 57. 58., *ordinatio ecclesiast.* ANTONII VLRICI *Ducis Brunsuicensis de 1709.* in *Praefat.* vbi ita: *welchergestalt die durch Gottes Gnade uns angestammete Landes-Fürstl. Regierung mit dem iure Sacrorum und davon dependirenden Episcopal-Rechten ohnzertrennlich verknüpfet.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

perioritatis territorialis habita ſit iurisdictio eccleſiaſtica, id neque a FRANCKIO probatum eſt, neque vnquam probari poſſe indubiis argumentis compertum habemus. Praeterea FRANCKIVS, dum ex legibus Imperii pro haereſi ſua diſputat, vbique fere miſcet iura circa ſacra maieſtatica, omnibus ſtatibus vi iuris territorialis communia, & iurisdictionem eccleſiaſticam, quam nunquam in ſuperioritate territoriali contineri voluerunt leges imperii.

Sed haec tranſeant. Aliam argumentandi rationem iam inire iuuat. Putamus etenim, quod, ſi probari quoque poſſet, ſtatus Euangelicos poteſtatem eccleſiaſticam ſibi tribuiſſe tanquam ius ex ſuperioritate territoriali oriundum, nihilominus incompetens ſit ſummorum imp. tribunalium in cauſſis eccleſiaſticis iurisdictio.; *neque* adeo *a principio, quod iurisdictio eccleſiaſtica principibus Euangelicis vi iuris territorialis competat, ad ſubordinationem eius ſub Caeſarea iurisdictione argumentari poſſe arbitramur.* At cum chartae anguſtiae premar, non omnia, quae hanc in rem proferri poſſent, proponere vacat. Primas tantum argumentorum, quae noſtram ſententiam fulcire poſſunt, lineas hoc loco ducam.

Quodſi ergo ſyſtema illud, quod iurisdictio eccleſiaſtica ſtatibus imp. Euangelicis vigore iuris territorialis competat, atque iure regalium ab illis poſſideatur, in ſenſu iuridico vel maxime verum ſit; nullum tamen inde pro iurisd. ſummorum imp. tribunalium argumentum formari poſſe contendimus. Primo enim dabunt nobis aduerſarii, iura haec in ſuperioritate territoriali vi ipſius formulae reipubl. noſtrae, atque ipſo iure, haud comprehendi. Certiſſimum eſt, tempore natae ſuperioritatis territorialis iurisdictionem eccleſiaſticam ad iura

ecclesiae iam pertinuisse cum plena immunitate a potestate seculari, & iure territoriali, cui tantum relicta fuere iura circa sacra maiestatica. Neque minus expeditum est, tempore reformationis, quo superioritatem territorialem completam fuisse nemo negabit, iura episcopalia in illa non fuisse comprehensa. Neque in ea contineri *potuisse*, vel ideo dicendum est, quod ne Imperatori quidem & Imperio haec iura competierint, quibus tamen omnem potestatem suam domini territoriales ferebant in acceptis. Quodsi ergo status imp. Euangel. post reformationem haec iura sibi tribuerint vi iuris territorialis, ad superioritatem territorialem nouiter accedere, & nouiter ei adquiri, debuerunt. Hoc fieri debebat vel per leges imperii, vel aliunde. Falsum est prius. Nil enim ideo actum in legibus imperii, nisi quod suspensa fuerint Episcoporum Catholicorum iura, quibus nihil plane surrogatum est. Ergo iura illa superioritati territoriali aliunde accessisse statuas necesse est, & vltimato semper recurrendum erit ad consensum ecclesiae, cui antea iura haec competierunt iure proprio. Duplex inde efformatur superioritatis territ. *principum Euangel.* formula, ita vt diuerso iure censeri debeat *superioritas* illa *communis*, quae ipsis aeque ac statibus Catholicis competit, & *superioritas territorialis in sacris*, quae illis propria est. Illa non modo iura imperii ciuilis in secularibus comprehendit, sed etiam iura circa sacra maiestatica, quae *vnicuique* statui immediato competere dicuntur *n*); haec potestatem & iurisdictionem ecclesiasticam continet. Illa ex concessione imperatorum vel expressa vel tacita atque ex forma rei-

n) I. P. O. *Art. 5. §. 30. Perill.* L. B. de CRAMER *Obs.* T. II. P. II. Obs. 577. STRVBEN. *Nebenst.* T. 2. *Abh. 15.* p. 212. sqq. add. I. P. *art. 5. §. 39. art. 8. §. 1.*

reipubl. noſtrae eiusque conſtitutione originem ducit; haec *nouam* iurium territorialium *acceſſionem* conſtituit, ipſius eccleſiae conſenſui vel expreſſo veltacito vltimato in acceptis ferendam. Illa nexu ciuili & feudali obſtricta eſt imperatori & imperio; haec iura adquiſita continet, quae ante reformationem ab imperio ciuili independentia fuerunt. Illa ſubordinata eſt ſupremae iurisdictioni Caeſareae; quoad hanc vero nunquam iurisdictio ſummorum imp. tribunalium agnita eſt, neque enim his vnquam demandata eſt iurisdictio in cauſſis eccleſiaſticis. Nulla ergo valet a ſuperioritate territoriali omnibus ſtatibus communi ad nouam hanc principum Euangelicorum ſuperioritatem in ſacris conſequentia, nec haec eodem, quo illa, iure cenſeri debet. Falſum igitur eſt, iurisdictionem eccleſiaſticam, ſi quoque partem iuris territorialis vel maxime conſtitueret, eodem, ac cetera ſuperioritatis iura, nexu ligatam, eademque intuitu ſubordinationis decempeda regulandam eſſe: & FRANCKII, eorumque, qui cum eo ſentiunt, hypotheſis id tantummodo probat, quod ſuperioritas in ſacris, quam principibus Euangelicis, qua talibus, competere ſupponunt, quamque ab imperatore & imperio prorſus independentem eſſe *aliunde conſtat*, *adiecta* ſit ſuperioritati territoriali illorum communi, quae ipſis eodem ac ſtatibus Catholicis iure competit. Emergit inde *praecipuum*, non ſtatuum Euangelicorum modo, ſed ipſius quoque *ſuperioritatis* illorum *territorialis*, quod a reliquis ſuperioritatis partibus & iuribus regalibus, quorum plane alia eſt origo & indoles, ratione ſubordinationis erga Caeſarem & imperium mirum quantum differt.

Sed ne opus quidem eſſe his ratiociniis, perſuaſum nobis eſt. Dari iterum poſſet FRANCKIO, ex ipſa conſtitutione Germ., ex

ipſa reipubl. noſtrae formula, ſtatibus Euangelicis iura in ſacris competere; licet qua ratione id probari poſſit non peruideam; & fallax tamen erit argumentum: *iurisdictio eccleſiaſtica eſt pars ſuperioritatis territorialis, ergo ſubordinata eſt iurisdictioni Caeſaris & Imperii.* Dantur enim eius ſubordinationis exceptiones. Luculentiſſima exempla praebent iura & priuilegia de non adpellando, &, quae inprimis huc pertinent, exemtionis fori. At in noſtra ſpecie *veri nominis* adeſt *exemtio*, quae a ſeculis inde competit, quae conſtantiſſime propugnata, quae agnita eſt *o*) ab imp. & imperio, atque firmata perpetuo vſu atque obſeruantia & praxi antiquiore *p*). Imo, ſi rem, vti eſt, conſideraueris, ne opus quidem eſt, ad exemtionem quandam a iudiciis imperii recurrere, cum nunquam iis demandata fuerit haec iurisdictio, ſed a prima inde illarum conſtitutione ſeculari tantum iurisdictione praedita fuerint illa tribunalia. Noua ergo deman-

o) vid. *Memor. Imp. de 1570.* Quae contra hanc legem monuit RIEFELIVS *l. c.* P. I. p. 65. ſqq., ab aliis iam discuſſa ſunt. vid. *Deductio* not. ſq. adleganda, §. 30. *Kritiſches Woerterbuch über juriſt. Sachen*, 7. Alph., p. 226. ſqq.

p) Praxin hanc ſolide euicit Vir Perilluſtris, AVCTOR des *Promemoria der Chur-Braunſchw. Comitial-Geſandſchaft, das vom hochloebl. Corp. Eu. jederzeit behauptete Reichsfriedensſchluſsmaeſſige* principium de iurisd. ſumm. imp. trib. in cauſſis eccl. Euangel. non magis quam Cathol. fundata *betreffend.* §. 5.-8. *in der neuen Staatscanzley* T. XXI. p. 400.-404. & CRAMERS *Nebenſtunden*, P. 79. p. 116. ſqq.

demandatione opus fuisset, eaque consensu statuum comitiali peragenda, vt vindicari iis posset ecclesiastica iurisdictio.

Accedit principium mutuae & exactae aequalitatis ex pace Westphalica, quod omnino subsistit, siue ex consensu ecclesiae, siue ex iure territoriali, hanc iurisdictionem deriuare malueris. Leuissima sunt dubia, quae contra sanctionis huius ad doctrinam de iurisdictione ecclesiastica adplicationem in medium protulit RIEFELIVS *q*). Nec quidquam iuuat aduersarios clausula legi illi adiecta, *quatenus formae reip., constitutionibus imp. & praesenti conuentioni conformis est.* Qnid enim formae reip. magis conueniens esset, quam independentia potestatis eccl. a iurisdictione tribunalium imp. ex ipsa reip. forma mere secularium? Quid constitutionibus imp., quae ipsae *r*) iurisdictionem summorum imp. tribunalium incompetentem esse agnouerunt, magis conforme foret? Quid vero magis repugnaret rationibus pacis Westphalicae, quam si ecclesiastica iurisdictio tribui rursus deberet summis imp. tribunalibus, postquam iudicum Catholicorum in his caussis iurisdictio ipsius pacis beneficio plane suspensa est?

Nec denique de hac iurisdictione summis imp. tribunalibus ex vllo fundamento asserenda quaestio amplius esse potest, postquam, quod vi iurium illustrissimo corpori competentium apprime factum est, a corpore Euangel. exemtio a iurisdictione Caesarea defensa, & omni summorum imperii tribunalium in caussis eccl. iurisdictioni grauissime & repetitis vicibus contradictum fuerit. Ita post alia sententiam suam declarauit Corpus Euangel. in litteris humillimis ad Sacram Caesaream Maiestatem datis d. d. Ratisb. d. 4. Apr. 1750.

q) *l. c.* P.I. p. 1. sqq.
r) vid. not. *o*).

Wie man Evangelischer Seits des Kayserl. Reichshofraths Iurisdiction in ecclesiasticis nimmer erkennen, weniger die Execution derer in solcherley Faellen incompetenter ergangenen Iudicatorum geschehen lassen koenne, noch werde, vielmehr alle von daher, auf eingewandte Appellation, oder sonst, erfolgte und noch erfolgende derley Erkenntnisse, als mit der Reichsverfassung incompatible, mithin von keinen Kraefften zu seyn, und für nicht ertheilet zu halten, anzusehen sich gemüssiget finde.

Hac ipsa contradictione id effectum est, vt omnis, si qua fuerit, summorum imp. tribunalium in caussis eccl. cessare debeat potestas iudiciaria. Agitur de interpretatione legum imp. & pacis Westphalicae inter corpora Cathol. & Euang. controuersa, in quo dissensu soli amicabili compositioni locus relictus est *r*), qua nondum subsecuta, omnis de fundamento iurisdictionis ecclesiasticae quaestio, omnis de eiusdem erga summa imp. tribunalia subordinatione disputatio otiosa, vmbratilis, & mere scholastica est.

Ipsis legum sanctionibus atque indubiae obseruantiae innituntur iura, a Corpore Euangelicorum hac in re exercita, eaque iura sexcenties agnita fuere ab imperatore & statibus Catholicis, quod, si vacaret, quam plurimis ex SCHAVROTHIO locis demonstrari euidentissime posset; vt operae pretium non faciant, qui iura illa impugnare hodiedum in animum inducunt, qua in re mirifice sibi placuerunt RIEFELIVS *s*), FRAN-

r) I. P. O. Art. V. §. 50. & 52.

s) *l. c.* p. 81. & P. II. Abh. III. add. IDEM in *P. III. der kritischen Staatsfragen.* Abh. I.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

FRANCKIVS *t*), & AVCTORES der *Geschichte der Verlegung des Cammergerichts, und der Ursachen, die solche veranlassen koennen: nebst einem wohlerwogenen Gutachten des Catholischen Theils des Kayserl. Cammergerichts Aduocaten und Procuratoren.* (Wetzlar, 1770.) *u*).

Sed plura de hac re iam addere, & argumenta, quae modo indicauimus, illustrare, vetant angusti huius scriptionis cancelli. Ad ea nunc properandum est, quorum caussa extemporalia haec in chartam coniecimus. Lectiones igitur, per futuram aestatem habendas, hic indicamus.

Iam vero notum Vobis est, COMMILITONES GENEROSISSIMI, NOBILISSIMI, HONORATISSIMI, IVVENES AMICISSIMI, ex publica recitationum tabula typis exscripta, quas Vestris studiis operas dicare animus sit. Breuissimis itaque exponam, qua ratione quoue consilio singulas expediturus sim.

Ac primo quidem *ius publicum Germanicum*, duce PÜTTERO, hora matutina VII. omni fide & industria praelegam, atque in tradendis pulcerrimae disciplinae praeceptis ita versabor, vt non modo ipsa iuris principia e genuinis quaeque fontibus explicare, sed vsum quoque, quem in ipsis rerum argumentis praestant, demonstrare, atque scripta, singulis capitibus illustrandis inseruientia, nouissima praesertim, recensere studeam.

Historia imperii, cuius recitationibus destinata manet hora pomerid. III., ea nos occupabit ratione, vt non factorum modo serie menarraturi, sed praecipue *ius publicum medii*

t) In *diss. cit.* §. LII. p. 205. vsque ad fin.

u) §. 165. pag. 144. not. a.)

medii aeui, origines iuris publici hodierni, & quae eo conducere possunt, quauis periodo simus enucleaturi.

Si quoque sint, qui addiscendo, qui in *summis imperii tribunalibus* obtinet, *procedendi modo* operam nauare cupiant, iis non deero, & ad docendam nobiliorem hanc iurisprudentiae publicae partem, legitimae scientiae cultoribus inprimis necessariam ac vtilem, eamque nouissimis semper praeiudiciis illustrandam, quauis hora commoda paratus ero.

Lectionum, auspice Deo, initium erit ad d. XI. Maii. Vt igitur iis frequentes adesse, & assidui interesse benigne velitis, COMMILITONES SVAVISSIMI, SPES PATRIAE, DECVS AC VOLVPTAS NOSTRA, atque fauore & amicitia Vestra dulcissima in posterum me dignemini, quam fieri potest humanissime rogo atque obsecro. Ego quidem quid vicissim possim nescio; illud tamen contestor, me, siquidem Vestrum mihi ita declaretis amorem, omnia Vobis studii atque amicitiae officia debiturum & praestiturum esse. P. P. in Acad. Ludouiciana, quae Gissae est, Calendis Maii

CIↃ IↃCC LXXII.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Seits des Kayserl. Reich
nimmer erkennen, wenn
Facellen incompetenter
lassen koenne, nach
eingewandte Appellation
gende derley Erkenntniß
mpatible, within one y
nicht ertheilet zu haben,

um est, vt omnis, si q
ium in caulis eccl. celeb
ur de interpretatione legum
corpora Cathol. & Evang.
nicabili compositionis locus
, omnis de fundamento
nnis de eiusdem erga
disputatio otiosa, vin-

dubiae obseruantiae in-
rum hac in re exercita
ab imperatore & Iustinia
plurimis ex SCHAVBORIUS
et; vt operae pretium
odiedum in animum i
placuerunt RIEFEL

L. IDEM in P. II. [illegible]





Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf